

1799, 10^a 394
B

DE
EXPECTATIVIS
IN
FEUDA IMPERII,
CONSENSU
ILL. JURECONSULTORUM
ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSIS
D. XXXI^{maij} APRILIS A. MDCCXIX.
H. L. Q. C.
DISPUTABUNT
P R Ä S E S
D. JO. JACOBUS MASCOV
COLL. MIN. PRINC. COLLEG.
ET
RESPONDENS
JO. JULIUS ANCKELMANN
HAMBURG.

LIPSIÆ,
TYPIS IMMANUELIS TITII.

57

DEUTSCHE
LITERATUR
IN VOGELHABERSTADT
DIO. JACOBUS MUSCOA
JULIUS ANCRELLINN
V. M. M. M.

¶ (o) ¶
**CONSPECTUS
DISSERTATIONIS.**

- I. *Expectativa quid? II. quotuplex? III. quomodo differat ab investitura simultanea, & pacto confraternitatis?*
IV. *An veteribus cognita?*
- V. *Exempla expectativa in feuda Imperii.* (1) *Generalis.*
VI. (2) *Specialis: in ducatum Sueviae.* VII. *Expectativa domus Saxonicae: Henrici illustris in Thuringiam.*
VIII. *in ducatum Juliacensem.* IX. *in ducatum Lauenburgicum.* X. *lineæ Albertinae in principatum Anhaltinum, & partem Hennebergici.* XI. *in comitatum Hanoviae.* XII. *Lineæ Ernestinae in comitatum Isenburgensem.* XIII. *Expectativa domus Brandenburgicae in Pomeraniam.* XIV. *in ducatum Megapolitanum.* XV. *in feuda ducum Brunsvicensium & Luneburgensium, nec non Holsatice.* XVI. *in comitatum Limburgi.* XVII. *Domus Austriae in ducatum Würtenbergensem.* XVIII. *Regni Sueciae in Pomeraniam ulteriorem.* XIX. *Domus Megapolitanae in Landgraviatum Leuchtenbergensem.*
- XX. *Observationes quedam generales ad ea exempla.*
- XXI. *Quod Imperatoris circa expectativam concedendam Jus? olim libere conferebat.* XXII. *Quando hæc potestas limitata fuerit?* XXIII. *Consensus Electorum ex quo fundamento & quo successu requiri coepit?* XXIV. *Res ea Caroli V. capitulatione accuratius definitur.* XXV. *Expectativa mentio prima in capitulatione Ferdinandi II.* XXVI. *Consensus Electoralis in expectativam necessitas, in capitul. Ferdinandi IV. dissertationis*

tis verbis exprimitur. **XXVIII.** Reliqui status suum quoque consensum requiri postulan. Initio frustra. **XXVIII.** In Capitulatione Carolina demum obtinent. **XXIX.** Dicta contrahuntur. **XXX.** Applicantur ad questio-
nem de validitate expectativarum diverso tempore da-
tarum. **XXXI.** Sufficit si consensus Electoralis postea
accedat. **XXXII.** An consensus vasalli possidentis re-
quiratur? **XXXIII.** Restringuntur bactenus disputa-
tata ad feuda majoris momenti.

XXXIV. Locum non habet expectativa: 1) ubi vasallus de
feudo pro lubitu disponere potest. **XXXV.** 2) ubi pa-
da confraternitatis adsunt. **XXXVI.** 3) Ubi alius
expectativam habet **XXXVII.** 4) cum agnati innocen-
tes adsunt: Et delicto vasalli feudum aperitur.
XXXVIII. 5) Ubi status aliquis jure belli alterius
provincias occupavit.

XXXIX. An expectativa ad certum aperturæ casum restri-
cta valeat, etiam ubi ex alia causa feudum vacaverit?

XL. Effectus expectativæ: 1) Obligat etiam successorem Do-
mini. **XLI.** 2) Tribuit jus occupandi possessionem
feudi vacantis. An Et titulos Et insigniæ? **XLII.**
3) An consensus expectantis requiratur: si vasallus
possidens onerare hypotheca feudum velit?

XLIII. Quousque extendi interpretatio expectativæ casu exi-
stente possit?



§. I.

Ixpectativa, quam alii superinfeudatio- Expectativa
nem appellant, Germanis dicitur **Un-** quid?
wartschafft, **Angefäll**- **Verschreibung**,
Gebing, itemque **Lehn** ohne **Gewehr**. Est
vero jus ad feudum obtinendum a Do-
mino sub conditione aperturæ datum.

§. II.

Generalis est, cum in genere promittitur feudum, Quotuplex?
quod primum vacaverit. Eam *Irrlehn* vocari Jure Sax.
Feud.c.IX. §.3. glossator & ZOBELIUS crediderunt: & hic
quidem mire ingeniosus est in explicanda vocabuli origi-
ne: Sed jam SCHILTERUS animadvertisit *Errenlehn*, h. e.
feudum antiquius eo loco legi debere. (1) Specialis est,
quaꝝ ad determinatum aliquod beneficium restringitur.
Ratione modi concedendi alia est quaꝝ per nudas literas,
(2) alia quaꝝ per actum investituræ sub conditione (3)
confertur. Idque discrimen in ipso investituræ effe-
ctu explicando vslum habet. In Imperio præterea quaꝝ-
dam expectativæ, pacto inter Principes, ab Imperatore
confirmato constitutæ sunt. Aliæ ab Imperatore, incon-
fulto vasallo possidente tributæ.

A 2

(1) Ad

(4)

(1) *Ad Ius Feud. Al. c. XII. §. VI.*

(2) HARTM. PISTOR. P. II. q. 30. ROSENTHAL.
cap. VI. concl. 6.

(3) i. F. 9. § 27.

§. III.

Quomodo
differat ab
investitura
simultanea, &
pacto con-
fraternitatis?

Differt expectativa, quæ solo promisso nititur ab investitura simultanea, quod ex ea tantum oritur jus ad rem, atque obligatio & actio personalis conditione existente. Ex facta vero investitura de futuro, oritur jus reale, & transit statim casu contingente dominium utile, ac potestas possessionem feudi apprehendendi. (1) Adeoque talis expectativa participat de natura investitura simultaneæ. Si vero pactum de expectativa inter vasallos antecesserit, in eo recedit a pacto confraternitatis, quod hoc mutuum succedendi jus utriusque parti, illud alteri tantum tribuit.

(1) *Conf. EYBEN. Sel. Jur. Feud. c. V. f. 8 SCHILTERUS,*
l. c. §. l.

§. IV.

An veteribus
cognita expe-
ctativa?

Antiquis moribus incognitam plane expectativam fuisse putat SCHILTERUS. (1) Non dubito tamen ex quo in usu fuerunt feuda, dominos interdum clientibus, quibus bene cuperent, quosve arctius obstringere sibi beneficiis vellent, officiorum, prædiorumve, si quæ forte brevi vacatura viderentur, spem fecisse. Certe in omnibus consuetudinum feudalium compilationibus expectativæ notitiam, usumque jam deprehendimus. De Longobardis i. F. 9. & 27. de aliorum Germanorum moribus, jus Feudale Alemannicum c. XII. & Saxonicum c. VII. testantur. Quo plures postea casus exstiterunt, eo accuratius, ut in omni jure solet, res definita fuit.

(1) *l. c. §. XI.*

§. V.

¤ (5) ¤

§. V.

Duravit ex antiquitate in ipsis Imperii feudis expectativa in Exempla ex-
stativæ jus: quod nunc unice excutere animus est: pro feuda Imper-
uti vel feudis Imperii cum aliis commune est, vel pro- rii:
priis principiis suis nititur. Si non responderit dignita- 1) Generale,
ti argumenti privata disquisitio, modestiam tamen in ea
nemo desideraverit. Ante omnia, ut casus de quibus dis-
putabitur, clariores sint, illustria quædam exempla præ-
mittemus. Neque enim omnia ciere opera pretium vi-
sum est. Sufficitque annotatione, quæ illustrationi inser-
vire possunt, licet alia jam impletæ sint: alia in vanum
ceciderint. Generalem expectativam accepit quondam
in Comitiis Carolus Ludovicus Elector Palatinus, in feu-
dum quodcunque 2000, imperiales annuos ferens. (1)
Ejusdemque indolis est privilegium quod Palatino, &
Trevirensi Electori competere ajunt, ut feuda immedia-
ta, intra territorium eorum sita, si forte aperiantur, ad
ipsos devolvantur. Sed nullum alium eius rei auctorem,
quam BE SOLDUM (2) habeo.

(1) *Vid. Series Rer. omninoſ. Contin. III. §. 38. conf. ITTERUS de Feud. Imp. c.X. §. 6. ubi ſimilis expectativa Comitibus Schwarzburgicis confeſſa exemplum annotat.*

(2) *Theſ. pract. voce Reichs-Lehn.*

§. VI.

Specialium antiquissima memoria apud Ursbergen- II) Specialis:
sem occurrit, (1) qui Henricum III. Berchtoldo, Zarin- in Ducatum
gensi comiti, succedendi in ducatu Suevia spem, super- Suevia.
stite adhuc Ottone duce fecisse, annulumque suum ad
majorem fidem faciendam tradidisse scribit. Magna-
rum hæc contentionum seges fuit, cum mortuo Ottone

Henrici IV. mater, quæ filii nomine rempublicam gerebat, ducatum Ottoni comiti Reinfeldæ dedisset. Nec placari Bertholdus, nisi dato Carinthia ducatu potuit.

(1) p. 168.

§. VII.

Expectativæ
domus Saxo-
nicæ: Henrici
Illustris in
Thuringiam.

Serenissima Saxonica domus plura nobis memoria-
tu dignissima exempla suppeditat. Fridericus II. Impera-
tor an. 1242. Henrico Illustri, marchioni Misniae, in Land-
graviatum Thuringia expectativam dedit, (1) ut novo ti-
tulo jus sanguinis firmaret, quod in eam provinciam
competere poterat.

(1) LUNIG. Reichs-Archiv P. Sp. II. Cont. IV. Abth. 1. Abf. p. 177.

§. VIII.

In Ducatum
Juliacensem
&c.

Eidem fundamento jus in ducatus Juliaz, Cliviæ &
Montium debet. Expectativam in Julianam & Montes a
Friderico III. Alberto duci, ejusque posteris, ob insignia in
bello adversus Carolum Burgundum merita 1493. data, (1)
confirmataque, & ad Ernestum fratrem extensa fuit a Ma-
ximiliano an. 1486. & 1495. (2) Quamvis autem mor-
tuuo ultimo duce, gener ejus Cliviæ dux provinciam oc-
cupasset, tandemque & investituram a Carolo V. 1522.
imperasset, nihil tamen Saxonico juri derogatum.
Agnovit illud ipse dux 1526. in pactis dotalibus (3) filiæ
Sibyllæ, cum Johanne Friderico, Electorali tum Principe,
quibus illa succedendi spes in Cliviacas quoque ditiones
extenditur. Quæ pacta & ordines provinciæ probarunt,
& Cæsar uno cum fratre Ferdinando 1544. rata habuit. (4)
Favit causæ Rudolphus II. ultimo duce mortuo, & 1610.
domum Saxoniam de ducatis investivit, quod & suc-
cessores Augusti fecerunt. (5) Et Elector Brandenbur-
gicus, una cum Palatino Neoburgico, qui uxorum nomi-
ne

ne assertas sibi terras tenebant, Saxonice domus prætensionem ita reverebantur, ut in pactis Juterbocensibus (6) in possessionis communionem recipere eam parati essent.

- (1) LUN. Reichs-Arch. P. Sp. IV. Abth. 2. Abs. p. 14. (2) ib. p. 15.
 (3) ib. p. 31. (4) ib. p. 59. (5) Vid. id. l. c. p. 131. (6) Id. l. c. n. 46. p. 155. seq.

§. IX.

In ducatum Lauenburgicum ducibus Saxoniæ expectativam dedit, eosque investivit Maximilianus I. in Co-mitiis Constantiensibus 1507. Quæ semper Electoribus Saxoniæ reservata & ab Imperatore Leopoldo 1660. & 1687. solenniter confirmata fuit: (1) ut licet non acce-siffissent pacta de successione mutua 1671. inita, (2) solum expectativæ jus, vindicandæ sibi possessioni sufficere potuisset. Sed transgredit de jure suo Serenissimus Rex Polo-niæ cum Domo Brunsvicensi.

In ducatum
Lauenburgi-
cum.

- (1) LUN. Reichs-Arch. P. Sp. IV. Abth. 2. Abs. n. 70.
 (2) De quibus conf. Lauenburgischer Stamm-Fall P. II. p. 54

§. X.

Ferdinandus I Electori Augusto expectativam de-dit in omnia feuda, quæ Principes Anhaltini ab Imperio tenent (1) eademque in investituris expresse confirmari solet. (2) Feuda vero illa cognoscuntur ex literis inve-stitura 1544. sub Carolo V. confessis. (3) Est enim & Brandenburgicæ familiæ expectativa in partem principa-tus, in ea scilicet feuda, quæ olim ab ecclesia Magdebur-gensi repetere solebant Principes, & soluto illo vinculo, per pactum 1681. cum Friderico Vilhelmo Electore, tan-quam Duce Magdeburgico initum, immediate ab Im-pe-rio

Lineæ Alber-tinae: in Prin-cipatum An-haltinum, & partem Hen-nebergici.

rio tenere incepérunt. (4) Idem Elector Augustus a Maximiliano II. expectativæ jure 1573. impetravit, ut posthabetis Joh. Friderici II. liberis, non solum in Jo. Vilhelmi ditiones, verum & illorum loco in quincuncem comitatus Hennebergici succederet, (5) ex quo capite postea in partem hæreditatis re ipsa venit.

(1) LUN. Reichs-Arch. P. Sp. II. Cont. 4. Abth. 2. Abs. p. 319.

(2) MULLER. Ann. ad an. 1693. p. 629.

(3) BECMANNI. Anhalt. Histor. P. IV. p. 520.

(4) Id. I. c. P. III. p. 84. 85.

(5) LUN. Reichs-Arch. P. Sp. II. Cont. IV. Abth. 2. Abs. p. 370.

§. XI.

In Comita-
tum Hanoviæ
&c.

Ferdinandus II. 1625. meritissimo de se Principi, Johanni Georgio Electori, expectativam dedit in feuda Comitum Hanoviæ & Schwartzburgicorum, nec non in feuda Friderici Ulrici, Ducis Brunsvicensis, in qua agnatis ex simultanea investitura, & Brandenburgico ex capite expectativæ jus quæsitus non esset.

(1) LUN. Reichs-Arch. P. Sp. II. Cont. IV. Abth. 2. Abs. p. 411. De istis Frid. Ulrici feudis conf. investitura Ferd. II. 1625. I. c. IV. Abth. 4. Abs. p. 321.

§. XII.

Lineæ Erne-
stine in Co-
mitatum
Isenburgen-
sem.

Rudolphus II. 1596. ducibus Saxonie lineæ Altenburgensis in Comitatum Isenburg & Budingen expectativam contulit. (1) Evidem an. 1641. comites Isenburgici & landgravii Hassia transegerunt, ut pars prædiorum Darmstadinis cederet, cum spe in reliqua succedendi. Sed duces Saxonie negarunt, ita imminui jus suum posse, neque hos titulos Darmstadinis tribuunt. (1) Quin illud potius ab Imperatore 1664. confirmatum fuit. (3)

(1) LUN. Reichs-Arch. P. Sp. II. Cont. IV. Abth. 2. Abs. p. 386.

(2) Reichs-Staat p. 602.

(3) MULL. Ann. ad h. a. p. 457.

§. XIII.

Sic & Serenissima Brandenburgica domus quæ tam late per Germaniam imperat, nonnullas provincias hoc jure accepit: aliasque ad huc sperare potest. Expectativam quidem in Pomeraniam & ducatum

Expectativæ
Domus Bran-
denburgicæ:
in Pome-
riam.

Megapolitanum pacts, neque sane gratuitis, acquisivit. Anno 1330. Ludovicus Bavarus inter filium Ludovicum Marchionem Brandenburgicum, & Barnimum III. Sedinensium ducem ita lites composuit, ut deficiente mascula ducum prole, Marchiones succederent. Qui casus cum an. contigisset, ulterioris Pomeraniae duces agnatorum feuda contra Brandenburgicos armis vindicabant. Compositum bellum 1499. ea conditione, ut Pomerani ducatum retinerent, Brandenburgorum autem expectativa in universam provinciam extendetur. (1) Exstat transactio cum Georgio & Barnimo 1529. inita, qua expectativa in universam Pomeraniam tribuitur Joachimo Electori, in cuius firmamentum simultanea investitura, homagium, titulique & insignium usus simul conceduntur. (2) Tam manifestum jus non minus strenue adversus Suecos in consultationibus de pace Westfalica tuitus est Fridericus Vilhelmus, nec ut partem provinciæ dimitteret, nisi accepta compensatione adiugapotuit: in cuius parte expectativa in ducatum Magdeburgicum fuit.

(1) conf. GIOV. Germ. Princ. I. 2. c. 2. p. 562.

(2) LUN. Reichs-Arch. P. Sp. II. Cont. IV. Abh. 3. Abf. p. 236.

Cum Ducibus Megapolitanis an. 1442. ea conditio-
ne composuit lites Elector Fridericus, ut familia Ducum
deficiente ad suam domum terræ devolverentur. (1) Ra-

In Ducatum
Megapoli-
num.

tum habuit pactum eodem anno Fridericus III. Imperator (2) rogatique consensum Electores, cum denuo investituræ renovandæ essent: ut patet ex literis Archiepiscopi Moguntini 1487. & Electoris Saxonie 1495. cum Johannes inuestiendus esset, (3) itemque Philippi Palatini 1500. pro Joachimo datis. (4) Extensa fuit deinde expectativa in principatum Suerinensem & Ratzeburgensem. (5) Urque major hujus juris per Germaniam notitia esset, Rex Prussiae ex pacto cum duce Suerinensti 1708. inito, titulis & insignibus Megapolitanis uti cœpit, contradicente licet in Comitiis 1709. duce Strelicensi. Unde ad universam domum postea diffusi. (6)

(1) LUN. Reichs-Arch. P. Sp. IV. Abth. 3. Abs. p. 7.

(2) Id. l. c. p. ii. (3) Id. l. c. p. 19. 26. 27. (4) Ib. p. 28.

(5) Conf. mutuas declaraciones Ducis Megap. & El. Brandenb. in LUNIG Reichs-Arch. P. Sp. IV. Abth. 3. Abs. p. 278. seq.

(6) Staats-Cangl. T. XIV. c. i. conf. Information vom Ursprung und Verfolg des Königl. Preuss. und Marggräffl. Brandenb. Euental-Successions-Rechts, an denen sämtlichen Mecklenburgischen Reichs-Lehen.

§. XV.

In Feuda dum Brunsvicensium & Luneburgensem ex beneficio Maximiliani II. (1) itemque Carolo V. auctore in ducatum Holstia. (2)

(1) conf. expect. Ferd. II. Electori Saxon. data, in feuda Hanov. ap. LUN. P. Sp. II. Cont. IV. Abth. 2. Abs. n. 90. p. 4ii. conf. §. XI.

(2) LIMN. T. i. add. ad l. V. c. 7. §. 62.

§. XVI.

In comitatum Limburgi. Denique an. 1693. Leopoldus Aug. ut remuneraret præstatim Imperio adversus Gallos opem, adjecit expectativam in feuda comitum Limburgi. (1) Quorum ultimus cum an. 1713. obiisset, inter Serenissimum Regem Prussiae & hæredes Limburgicos de separatione feudi

di ab allodio coorta lis est, disputatumque inter alia,
utrum jus suffragii in Comitiis Imperii & circuli, bonis
allodialibus inhärere, & ad scēminas devolvi possit? (2)

(1) LUN. Reichs-Arch. P. Sp. Cont. II. Suppl. p. 988.

(2) Vid. Electa Juris Publ. T. VI. p. 146.

-ohesfeld
maburg von
Lübeck
aliquando et

§. XVIII.

Regno Sueciae Pace Osnabrugensi Art. X. §. 4. exspectatiua in Pomeraniam ulteriorem & Principatum Caminensem concessa fuit, & simultanea investitura confirmata: ita ut quoties subditi homagium præstarent Brandenburgicis, casus illius simul admonerentur. (1)

(1) conf. HENNINGES Meditat. ad l. c. §. 5.

Regni Sueciae
in Pomeraniam ulterio-
rem.

§. XIX.

Maximilianus 1502. Friderico Duci Megapolitano, Consiliario suo, expectativam dedit in semissim Landgraviatus Leuchtenbergensis: (semissim enim ærario Imperii reservabat) (1) sed cum obiisset Max. Adamus Leuchtenbergensis familia ultimus, Mecklenburgicis non advertentibus, Albertus Bavariae Dux, qui sororem ejus in matrimonio habebat, successit, atque ab Imperatore 1647. investitus fuit, licet Mecklenburgici an. 1572. & 1621. memoriam juris sui in aula Cæsarea refricuissent. (2) Cum vero iterum 1705. vacasset, in illa Domus Bavariae calamitate, dux Suerinensis priscum jus suum urgebat. Verum rejecta ejus petitione in consilio aulico, D. Josephus Principem Lambergium 1705. Landgravium appellavit. (3)

Domus Me-
gapolitanæ
in Landgra-
viatum
Leuchten-
bergensem.

(1) LUN. Reichs-Arch. P. Sp. II. Cont. 6. Abs. p. 500.

(2) Staats-Cantl. XIII. c. 12. p. 465.

(3) Ib. l. c. p. 479. conf. El. Jur. Publ. ad an. 1709. p. 352. seq.

Observatio-
nes quædam
generales ad
ea exempla.

Exempla illa intuentibus facile patet, non tam certam aliquam & perpetuam expectativam formam esse, quin in singulis fere proprii aliquid ac diversi a reliquis insit. Modo expectativa ab Imperatoribus ultro ob bene merita data est: ut Juliacenſis Saxonibus, Leuchtenbergensis Megapolitano duci: Modo ab ipsis Principibus componendarum facilius litium caſa, per transactio- nem introducta, & ab Imperatoribus confirmata, ut Brandenburgicorum cum Pomeranis & Megapolitanis, nec non Austriacorum cum Vürtenbergico paſta do- cent. Alii deinde in jure tuendo aliis folertiores fue- runt. Hi in concesſione Imperatoris acquieverunt. Illi de Electorum consensi ſolliciti fuerunt, etiam tum cum nondum lege expressa requireretur, ut iterum Brandenburgici documento ſunt. Aut paſtas ſuperadditis non vasallum modo poſſidentem, ſed & ordines provinciales ad agnationem juris ſui adstringunt, quæ cura Saxonum in Cliviæ expectativa fuſit. Interdum & tituli atque inſignium uſum, ipsamque investituram ſimultaneam ma- joris & notitia & ſecuritatis caſa ſipulati ſunt, omni adeo occaſioni firmandi juris, omnibusque ſpei ſuę ad- miniculis intenti. Neque ergo mirum, si non eisdem argumentis in omnibus caſib⁹ uti licet.

Quod Imper-
atoris circa
expectativam
concedendam
jus & olim li-
bere feu:la
aperta confe-
rebat.

§. XXI.

Nobilissima in hoc argumen- to quæſtio eſt, de jure Imperatoris circa expectativam concedendam. Illud vero pendet a facultate ejus diſponendi de feudiſ aper- tis: neque melius quæſtio explicabitur, quam si diverſas temporum juriumque mutationes perlustremus.

Olim

Olim ne licuit quidem Imperatoribus feuda vexilli ultra annum sibi retinere, sed tenebantur ea de novo conferre: der König soll kein Bahn Lehn in seiner Gewalt haben Jahr und Tag, er soll es hinsleyhen. (1) Et cum causæ feudales, in primis ejusmodi collationes plerumque solerent in solennibus curiis tractari, subscribere nonnulli ex paribus curiæ solebant, quorum testimonium ad probandam novam investituram necessarium erat. II. F. 32. (2) quique ideo sacramentales & fidejussores investituræ appellabantur. (3) Unde formula: *de consilio principum*, non tam necessitatem requirendi consensus procerum Imperii, quam testimonium arguit, & tandem mere curialis facta est, utpote quæ toties in diplomatibus adhibita reperitur, quibus avita tantum feuda & nulli controversiæ obnoxia conferuntur, iterumque in novorum feudorum concessionibus, aut expectativis omittitur, ut pluribus Cl. MULLERUS (4) afferuit.

- (1) Schwäbisch Land-Recht L. i. c. 32. §. 3.
- (2) conf. ALTESERRA Origines feud. c. 8.
- (3) conf. du CANGE gloss. voce *juramentum*.
- (4) Reichstagss-Theatr. P. i. c. 23. §. 41. p. 325. seqq.

§. XXII.

Sed dissipato Imperii domanio & cum Imperatores non jam in curia sed privatim s̄pē de rebus Imperii statuerent, placuisse videtur proceribus, ut non amplius arbitrii regii esset bona Imperii in feudum dare. Quando id statutum non dixerō. Sed de Wenceslao inter alia id gravissime questos Electores legimus, quod insignem regni Longobardici partem, fisco subiractam, sub ducatus Mediolanensis titulo, Galeacio in feudum dederit.

B 3

Tum

Quando hæc
potestas limi-
tata fuerit?

Tum in genere illum accusant: Er hat auch viel Stätte und Lande, in Deutschen und Welschen Landen dem Reich zugehörende, und der ein Theil verfallen sind dem H. Reich, übergeben, und der nit geachtet, noch an dem H. Reich behalten. (1) Ita jam tum consilium captum fuit instaurandi ararium ex feudis ad Imperium revolutis. Cujus memor Maximilianus I. ducatum Vürtenbergicum, ubi Duces defecerint, fisco in literis prima investituræ reservavit, (2) itemque alteram partem landgraviatus Leuchtenbergensis, cum expectativam Megapolitano daret. (3)

(1) *Vid. sentent. depos. Venceslai ap. MULLER. l. c. p. 296.*

(2) *Vid. dipl. ap. LIMN. J. P. L. V. c. 16.*

(3) *conf. §. XIX.*

§. XXIII.

Electores itaque prohibituri, ne Imperatores extra curiam pro suo arbitrio de feudis disponant, effecrunt tandem, ne citra consensum suum ulla alienatio valeat. Nam ex antiquo aulæ Franciæ more archiofficiales intimi Regni Confiliarii & præcipui rerum gerendarum autores erant. Unde in aula Gallica duravit mos, ut IV. primarii officiales seculares, diplomaticis, conciliandæ fidei causa primo loco, & a temporibus Ludovici Grossi, etiam soli subscriberent, (1) & si quod forte officium vacaret, id expresse annotaretur. (2) Clariora jam hujus juris, sed haud dubie ex prima antiquitate servati indicia habemus in foedere, quod Electores, memores officii, pro afferenda communi ope, & consilio, fluctuante republica an. 1399. inierunt. (3) Eo inter alia, commo-

Consensus
Electorum
ad concess.
feudorum
quando & ex
quo funda-
mento re-
quiri cepe-
rit?

commoti prodigalitate Venceslai sanciunt: Understünde
 auch unser Herre der Römische König oder yemand anders
 das h. Römische Kythe, oder einige seine Zugehörunge zu
 sineelen, abzubrechen, oder dem Kythe zu entleden, dar-
 wieder sollen wir samentlichen seyn. Ea lex in omnibus
 foederum Electoralium formulis postea repetita. Ten-
 tatum etiam Maximiliani I. tempore in Comitiis Wor-
 patientibus a. 1492. ut certus modus huic rei daretur.
 Nam in delineata a deputatis ordinatione Regimenti (4)
 commendatur inter alia: Sy sollen auch ratschlagen, die
 ihenen so Fürstenthumb, Graffschafft, Herrschafft, oder an-
 dere Güter, zum Reich gehörig, unempfangen inn hetten,
 oder besessen, zu bewegen, und darzu zu bringen, dieselben zu
 empfahen mit gewöhnlichen Pflichten: Doch, ob derselben
 Stück eins oder mer, Fürstenthumb oder merclich Graff-
 schafft, dem Reich heimgevallen waren oder würden, sollt
 durch uns mit Willen der Chur-Fürsten darinn gehandelt
 werden, die bey dem Reich fürtter zu behalten oder zu ver-
 leihen. Aber minder Lehen, so uns oder dem Reich heim-
 fallen weren, oder würden, dieselben zu verleihen, wollen wir
 uns hierinn vor, und aus behalten haben sc. Atque ita de-
 mum frequenter ad novorum feudorum aut expectati-
 vꝝ investituram, majoris securitatis causa consensus Ele-
 ctorum requiri cœpit. Interdum ab investito, quod
 in expectativa Brandenburgicorum in ducatum Megapo-
 litanum factum legimus. (5) Interdum ab ipso Impera-
 tore, uti Maximilianus in Lauenburgicæ expectativæ
 concessione pollicitus est. (6) Adeo jam ante Carolum
 V. non facultas modo alienandi prorsus bona imperii,
 quam ad ea usque tempora illibatam retinuisse Impera-
 tores

tores creditit Stranchius: (7) sed disponendi etiam de feudis inter ipsos vasallos restringi ab Electoribus cœpit. Neque tamen jam tum absoluta necessitatis consensus ille fuisse videtur, cum varia exempla non requisiti proflent. (8) Si vero in Comitiis Imperii solenni pompa in curia Imperiali peracta investitura, quid mirum omnium Imperii ordinum mentionem fieri?

- (1) *conf. MABILLON. de re diplom. l. 2. c. 12. p. 121.*
- (2) *Idem l. c. cors. etiam aut. des anciennes enſignes & eſtendarts de France pag. 23. 24.*
- (3) *ap. MULL. l. c. §. 6.*
- (4) *ap. Dn. DATT. de pace publ. l. 3. c. 12. §. 124. p. 618.*
- (5) *conf. §. 14.* (6) *conf. §. 9.*
- (7) *de oppignorat. imper. lib. 20. ſequ.*
- (8) *qua annotavit Dn. MULLERUS l. c. p. 325.*

§. XXIV.

Res ea Caroli
V. demum ca-
pitulatione
accuratius de-
finitur.

Cum Carolus V. electus esset, & juri scripto asuefcere cœpisset Germania, Electores jura Imperii nunc quoque in certam formam redacturi, inter alia etiam quid juris in feuda aperta Imperatori competere debeat, in capitulatione definierunt. Articulo IX. ne quid rerum, ad Imperium pertinentium alienet, nisi consensu Electorum, & §. 23. sub eadem conditione, ne collectas urbium aut alios Imperii redditus distrahat, ac tum denum naturali ordine, §. 24. ne feuda aperta denuo aliis conferat, paciscuntur. Wenn auch Lehen dem Reich, und uns, bey Zeiten unserer Regierung eröffnet, und lediglich heims fallen, werden, so etwas merckliches ertragen, als Fürstenthumb, Graffthafften, Herrschaften, Städt und dergleichen, die sollen und wollen wir ferner niemand verleihen, sondern zu Unterhaltung des Reichs, unser und anderer nachkommen der

der König und Kaiser, behalten, einziehen und incorporiren, bis so lange dasselbe Reich wieder zu Wesen und Auffz nehmen kommt; ubi ex contextu appareat, non simpliciter prohiberi feudorum apertorum novas concessiones, ut multi interpretati sunt: (1) sed tantum ne inconsultis Electoribus fiant. Et quoniam ante forte in expectativis, aut investituris, non tam stricte eadem observata fuissent, ne id cui fraudi sit tranquillitatis publicæ causa constitutum. Doch uns von wegen unserer Erb-Land, und sonst männlich an seinen Rechten und Freyheiten unschädlich.

(1) CONRING. ad LAMPAD. P. III. C. V. §. 26. quem plures sequuntur.

§. XXV.

Quanquam eodem capitulationis Carolinae sensu expectativa quoque contineri videatur. Electores tamen demum in capitulatione Ferdinandi II. mentionem ejus difertis verbis fecerunt. art. 28. Auch niemand einige expectanz oder Anwartung darauff geben.

§. XXVI.

Verum de interpretatione legis diu inter Imperatores atque Electores non satis convenit. Illi enim non tam absolute se prohiberi, aut restringi ad arbitrium electorum crediderunt, quin postulante necessitate Imperii, aut ubi remuneranda essent merita in rempublicam, liberiorem sibi potestatem competere crederent. (1) Sed denuo, ne quid prorsus se inconsultis de feudo aperto statueretur, institerunt. (2) Ut ergo omni istiusmodi

C

dubi-

Expectativæ
mentio pri-
mum in capi-
tulatione Fer-
dinandi II.

Consensus
electoralis
necessitas in
expectativam
capitul. Fer-
dinandi IV.
difertis ver-
bis exprimi-
tur.

dubitacioni materiem in posterum præscinderent, & iura sua accuratius declararent, capitulationi Ferdinandi IV. formulam de consensu electorali in expectativa quoque adhibendo, disertis verbis inservuerunt.

(1) conf. eruditæ bæc deducentem Dn. MULLERUM l.c. §. 42. 43.
p. 326. seq.

(2) conf. acta comitial. ap. LUNDORP. P. IV. & ap. LIMN. in manuiss. ad capitul. Ferd. II.

§. XXVII.

Reliqui status
suum quoque
consensum
requiri postu-
lant. Initio
frustra.

Hactenus jure suo tranquille usi electores. Sed sensim reliqui ordines suam quoque auctoritatem in his negotiis requirendam voluere, vehementerque institerunt in consultationibus de pace Westfalica, ut temperaretur prævalens electorum potentia, (1) ipsique in partem condendæ legis regiæ admitterentur. Hanc vero juris imperatorii partem, ut temperari voluerint, prodidere in monitis ad capitulationem, (2) cuius articulum 30. ita formari voluerunt: Daß die heimgefallene Reichs-
Lehn, so etwas mercfliches ertragen, ohne Vorwissen der Churfürsten und Stände niemand verliehen, oder exper-
tanz darauff gegeben werden möge. Sed electores nihil in Leopoldina & Josephina ea de re inamutandum rati,
protestantibus principibus, contraria protestatione pri-
scum jus suum tuiti sunt.

(1) conf. hist. pacis Westphal. l. 3. §. 35.

(2) Vid. monita in app. capitul. harmonica p. 197.

§. XXVIII.

In capita-
tione Caroli-
na demum
obtinent.

Interea in comitiis multa de capitulationis perpe-
tuæ forma disputata. De pluribus etiam, & inter alia
de modo disponendi de feudis apertis convenerat. Quo-
rum

rum cum rationem haberent Electores, in adornanda post obitum D. Josephi nova capitulatione, Carolus VI. Augustus, qui nunc feliciter imperat, articulo XI. primus pollicitus est: Wenn auch ins künftig Lehn dem Reich durch Todes-Fälle, oder Verwürfung, eröffnet, und lediglich heimfallen werden, so etwas merckliches ertragen, als Churfürstenthümer, Fürstenthümer, Graffschafft-Herrschaften, Städte und dergleichen, die sollen und wollen wir, die Churfürstenthümer ohne des Churfürstlichen Collegii, die Fürstenthümer, Graff- und Herrschaften, Stadt und dergleichen aber, ohne der Churfürstlichen, Fürstlichen, auch (wenn es nehmlich eine Reichs-Stadt betreffen thut) Städtischen collegiorum Vorwissen und consens, ferner niemand leihen, auch niemand einige expectanz oder Anwartung darauf geben, sondern zu Unterhaltung des Reichs, Unser, und Unserer nachkommenden König, und Kaiser behalten, einziehen und incorporiren, doch Uns von wegen Unserer Erblände, und sonstem männlich an seinen Rechten, und Freyheiten, auch denen von Unseren Vorfahren am Reich, denen Ständen propter bene merita ertheilten, und denen Reichs-constitutionibus gemäßen Anwartungen, auf künftige sich erledigende Reichs-Lehn, an ihrer Kraft, und Bündigkeit unschädlich.

§. XXIX.

Per hos gradus itum est ad präsentem rei conditio-
nem. Primum Imperatores in solenni curia prævia Dicta contra-
cum paribus deliberatione de feudis apertis iterum con-
cedendis statuere. Tum Electorum consensus in spe-
cie requiri coepit, idque iis jus, capitulatione Caroli V.

C 2

firma-

firmatum, atque ab eo tempore integrum mansit, neque cum reliquis ordinibus, quanquam id a tempore pacis Westfalicae postulantibus, nisi in ultima demum capitulatione communicatum fuit.

§. XXX.

Applicantur ad quaestio-
nem de vali-
ditate expe-
ctativarum
diverso tem-
pore data-
rum.

Sufficit si con-
sensus electo-
rum postea
accedat.

Hodierno itaque jure ad concedendam expectati-
vam non sufficit amplius solius Collegii Electoralis con-
sensus: nisi electoratum respiciat. Verum antea data eo
jure censentur, quod tum temporis in usu fuit, titulum
que legitimum casu existente tribuunt. Neque nunc de-
nuo reliquorum Imperii ordinum suffragia conquirenda
funt.

§. XXXI.

Quod si autem ante mota certamina Imperator so-
lus expectativam dedit, sub conditione tamen obtinen-
di consensus Electoralis, non statim ideo pro vitiosa ha-
beri debet, ut visum Ill. Auctori meditationum ad Capit. Josephinam. Sed quamprimum conditio imple-
tur, vigorem plenum suum atque effectum consequitur,
ac si statim ab initio consenserint. Hac enim est omnis
promissi conditionati vis, ut in suspenso sit, conditione
nondum implera: ast ubi illa exsisterit, plenum jus tri-
buat. Sed fusius has quaestiones eruditior manus brevi
forte discutiet.

§. XXXII.

An consensus
vasalli possi-
deutis requi-
ratur?

Jam utrum vasalli quoque possidentis consensus
requiratur, videamus. Antiqui dissenserunt auctores.
Negat Jus F. Sax. c. X. §. I. *Quidam dicunt, quod non licet
quenquam infeudare de futuro absque petitione possessoris:*
quod

quod non est. Eandem sententiam Mediolanenses & Cremonenses Jcti tenuerunt, i. F. 27. Contra jus Alemannicum omnino requirit: itemque ex Italis Cremonenses d. i. F. 27. quos Eguin. Baro, Guil. Fornerius, aliquique sequuntur: (1) qui tale pactum contra bonos mores esse statuunt, nisi possidens vasallus consentiat. Inducti auctoritate Juris Romani, quo invalida sunt pacta de successione viventis, nisi accedat consensus ejus, *i.f. C. de pacis.* Verum & hanc Juris Romani dispositionem nunquam penitus in Germania receptam fuisse probat Schilterus: (2) neque ejus rationes in rem feudalem quadrant. Itaque discessum a rigore juris Alemanni, qui antiquis temporibus, bellorum ac dissipationum plenis, utilis esse poterat, ne talis expectativa ad mortem professoris vel vi, vel insidiis captandam incenderet. Quanquam autem jure contradicere Imperatori expectativam concessuro vasallus possidens regulariter nequeat, utpote qui ultra familia sua durationem de feudis ad dominum tum revolvendis disponere non potest, prudentia tamen est, omni alia ratione id consilium avertere, quo libera ipsi pactis, occasione ferente, sibi prospiciendi portestas maneat.

(1) loca vid. ap. SCHILDT. comm. ad J. F. Alem. c. 19. §. 6.

(2) Exercit. ad Pand. VIII. §. 35. seq.

§. XXXIII.

Sed quæ disputata haec tenus sunt, ea omnia tantum ad feuda majoris momenti pertinent. Ad id discrimen tur haec tenus jam Maximiliani I. tempore respectum fuisse, docent quæ disputata ad §. XXIII. annotavi, idemque sibi volunt capitulationis momenti. verba: Wenn auch Lehn : : : so etwas mercfliches extra-

gen. Feuda enim immediata minoris dignitatis, aut emolumenti, a solo Imperatore pro arbitrio conferri, & sic quoque per expectativam destinari bene meritis possunt. Multa autem sunt ejus generis pradia, redditusve aut iura, quorum indicem copiosissimum nobis dedit Ill. Ludvicius in Comm. ad A. Bullam.

§. XXXIV.

Locum non
habet expe-
ctativa¹⁾ ubi
vassallus de
feudo pro lu-
bitu dispone-
re potest.

Locum non habet expectativa, nisi in feuda, quæ familia possidentium extincta ad imperium devolvuntur. Itaque frustra petitur in territoria, de quibus ultimus possessor pro arbitrio disponere potest, nisi in casum, si ille citra talem dispositionem obierit. Id privilegium Austriae Duces a primo institutore Friderico Imperatore 1166. acceperunt. *Dux Austriae donandi & deputandi terras suas, cuicunque voluerit, habere debet potestatem liberam, si (quod absit) sine heredibus liberis decederet: nec in hoc per Imperium debet aliqualiter impediri.* Confirmavit ea jura Fridericus II. Veronæ 1245. & in domo Habsburgica renovavit Carolus V. (1)

(1) *Vid. LIMNAEUS f. P. I. V. c. 2. n. 30. 31. 32.*

§. XXXV.

2) Ubi paœta
confraterni-
tatis adsunt.

Eadem est ratio, ubi familiæ illustres, futuri providiæ, mutuam sibi successionem pacto confraternitatis stipulatae sunt, idque ab Imperatore atque collegio electoriali, & ex novissimæ capitulationis sensu reliquis etiam, si feudorum qualitas postulaverit, Imperii ordinibus confirmatum est. Tum enim non in allodia modo, sed & feuda succeditur. Neque ea ad imperium recidunt, nisi

nisi extinctis omnibus fœderatis. Illusterrimum exemplum præbet pactum, quod inter Serenissimas gentes, Saxoniam, Brandenburgicam & Hassiacam intercedit. Primi id sancierunt 1373. Fridericus, Balthasar & Vilhelmus, Landgravii Thuringiae, cum principibus Hassiacis, atque alteri de alterorum terris ab Imperatore Carolo IV. investiti fuerunt. (1) Sapientia id postea renovatum. (2) Et cum domus etiam Brandenburgica in fœderis partem aliquoties venisset (3) anno tandem 1614 Naumburgi veluti de novo conditæ triplicis fœderis tabulae. (4) Quæ postea in ipsis capitulationibus Imperatorum approbatæ sunt. (5)

(1) LUNIG Reichs-Arch. P. Spec. IV. Abth. 2. Abs. p. 3.

(2) conf. CARPLOVII disp. de pacio confraternitatis Saxonico-Hassiacæ, & SCHILDT. Inst. Jur. Publ. T. I. l. iii. tit. i. §. g.

(3) Conf. tabulas fœderis Naumburg. an. 1555. renovati, ap. LUNIG. l. c. p. 84.

(4) ap. LUNIG. l. c.

(5) Conf. capit. car. art. i.

§. XXXVI.

Neque tanquam apertum consideratur feudum, in 3) Ubi alias quod legitime quæsitam expectativam aliquis habet. expectativam Quodsi vero Dominus novam expectativam alteri derit, utrum prior an posterior præferendus sit, queritur? Naturali æquitate ob sanctimoniam promissorum prioris jus potius videtur. Sed feudali consuetudine paulo aliter obtinuit, in eo scilicet casu, ubi alter generali expectativam accepit, alter ad certum aliquod feudum determinatum. Tum enim ubi id vacaverit, posterior præfertur. Dominus tamen priori tenetur ad inter-

interesse, J. F. Al. c. 12. Sax. c. 7. & casum ita decisum habet Carpzovius. (1) Quia in re veteres jurium feudalium arbitri cum iure Romano convenient, *in quo generi per speciem derogatur, Et illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est, l. 8o. d. R. I.* Idem in beneficio ecclesiastico probat Bonifacius VIII. c. 14. de præb. 6. (2) Id autem prima tantum vice obtinet. Ubi enim semel spes sua expectantem frustrata est, jam non prodest amplius domino expectativam specialem alteri concessisse, sed quocunque feudum vacaverit, ipso jure prioris est. (3) Verum hodie non facilecasus extiterit, in imperii feudo majori, cum tanta in luce Ordinum jura versentur.

(1) *l. 2. 45. def. 4.*

(2) *conf. SCHILT. ad J. F. Al. c. XII.*

(3) *Vid. J. F. Al. l. c.*

§. XXXVII.

4) cum agnati
innocentes
adsum: & de-
liceto vasalli
feudum ape-
ritur.

Neque amplius aperitur Imperio feudum per feloniam vasalli, sed ad agnatos, si innocui fuerint, devolvitur. Ita priorum temporum severitatem correxit Capitulatio Aug. Caroli VI. Art. XX. Gestalten auch im H. Römischen Reich bey verwirckten Gütern des Aechters des selben Verbrechen denen Agnaten, und allen andern, so Anwaltung und Recht daran haben, und sich des Verbrechens in der That nicht theilhaftig gemacht, an ihrem Ju-re succedendi in feudum und Stamm-Gütern nicht præjudiciren soll ic. (1)

(1) *Conf. que annotavit, ac in appendice actionum exhibuit Ill. edit. der gegenwärtigen Verfassung der Käyserlichen Regierung in Deutschland.*

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Quod si inter Imperii status invalido legum præ-⁵⁾ Ubi status
ficio, bellum cooriatur & alter alterius provincias armis
occupaverit, non statim illæ Imperio apertæ censentur.
Sed ubi ad pacis confilia ventum est, suas quælibet pars
rationes curat. (1) Aliter vero se res habet, si vasallus
hostis Imperii declaratus fuerit, ac publicis auspiciis re-
giones ipsius subigantur, nec immunes criminis agna-
ti adsint. Cum Carolum XI. Suecorum Regem, bello
Gallico se immiscentem, Bremensi ac Pomerania ducatu
fœderati expulissent: erant in aula Cæsarea, qui utrum-
que feudum commissum esse, & ad Cæsarem devolvi ex-
istimarent. (2) Nec ipsi Brandenburgici tam alieni ab
ea sententia fuerunt, (3) ut quidem prima fronte ex
alio Pufendorfii loco appareat. (4) Sed interveniens
pax Neomagensis ulteriore hujus rei disceptationem
præscidit.

(1) Conf. HENNINGES ad capit. Ioseph. art. 29. not. 1.

(2) PUUFEND. Rer. Frid. Vilb. l. XIX. §. 14.

(3) Id. l. XV. §. 8. (4) l. citato ad not. 2.

§. XXXIX.

Quodsi expectativa sub apertura conditione sim-
pliciter data fuerit, nihil quidem refert, utrum extincta
familia, an alia quacunque ratione feudum recidat. Du-
bitari autem potest, utrum valeat, si sub speciali condi-
tione data fuerit, ac feudum alia ratione vacet: Uticum
dominus ad casum mortis respexit, & vasallus feudo ob-
feloniam privatur. Videtur tum expectativam habentis
jus integrum manere, sed possessio non nisi conditione
D existen-

An expectati-
va ad certum
apertura ca-
sum restricta
valeat, etiam
ubi ex alia
causa feudum
vacaverit?

existente sequi. Dominus interea vacuo feudo fruetur,
quamdiu prior possessor superstes est.

§. XL.

**Efectus ex-
pectativa:**
1) obligat
etiam succes-
sorem domi-
ni.

Neque Imperatorem modo, qui dedit, expectativa ad feudum apertum concedendum obligat, sed etiam successorem. Non opus est immorari hic expendendis auctorum opinionibus, qui allegati ab ITTERO (1) pro negativa sunt. Nam etiam Principes electitii, ut antecesorum acta legitima rata habeant a civitate obligantur. (2) Poterat hoc dubium in Germania moveri, cum libera adhuc regum in feuda & domania potestas esset. Tum poterant sequi consilium Tiberii, qui superiorum beneficia non aliter rata habuit, quam si & ipse dedisset. Ast postquam reipublicæ nomine electorum, & nunc etiam pro re nata, ceterorum ordinum consensus adhibendus est, & in capitulationibus jura omnia rite quæsita confirmantur, nulla alia necessitas ad petendam expectativæ renovationem ordines adigit, quamdui illorum notitia firmius conservetur.

(1) *De Feud. Imp. c. X. §. 3.*

(2) *De quo conf. GROTIUS de J. B. & P. I. II. c. XIV. §. 10. seq.*

§. XLI.

**II) Tribuit
jus occupan-
di possesio-
nem feudi
vacantis.
An & titulos
& insignia?**

Ea porro est expectativæ vis, ut jam non licet dominio aliter de feudo aut parte ejus disponere. Inde cum Ferdinandus II. proscriptis ducibus Megapolitanis ducatum Friedlando dedisset, graviter protestati sunt Brandenburgici; & cum Suecis deinde quædam ejus ditiones concessæ essent, pro quibus pace Vestfalica satisfactum ducibus,

bus, expectativa Brandenburgicorum ad eas quoque partes extensa est. Ubi vero feudum vacaverit, statim expectans possessionem occupare potest si investitus fuerit. Idque insuper disertis verbis concedi interdum in literis expectativæ solet, prout in expectativa domus Saxonica ad principatum Anhaltinum legimus. Quodsi investitura nulla accesserit, jure communī quidem occupare statim feudum non licet. Verum cum status Imperii non semper legibus & interdictis tuto fidant, ubi axmuli paratos habent exercitus, consultum est una, & petere feudum ab Imperatore, & de possessione sibi, ejusque defensione prospicere. Eo consilio, defuncto ultimo duce Lauenburgensi, usus fuit Elector Saxoniæ. (1) Et jam in antecessum sape titulis atque insignibus utuntur expectativam habentes. Sed ex pacto hoc plerumque fieri solet. Ita Rex Prussiae 1708. inito cum duce Sueriensi pacto, titulos & insignia Megapolitana adhibuit, et si protestante 1709. duce Strelizeni.

(1) *Vid. Beschreibung der Chur-S. Possessi-Ergreiffung im Herzogthum Sachsen-Lauenburg in Lev. von Amberg's Lauenb. Stammtafel p. 75.*

§. XLII.

Evidem si vasallus feudum imminuere, aut hypotheca onerare velit, eorum qui jus succedendi sive agnatione sive simultanea investitura habent, aut dominus ad quem feendum devolvitur, consentire debet. Sed nudam expectativam habentis consensus non requiritur, cum nondum jus in re habeat. Dominus tamen in detrimentum ejus non facile debet consentire, aut ubi consenserit ex gravi causa, alio modo ipsi satisfacere, in primis si titulo oneroso

qua-

III) An consensus ex-
pectantis requiratur,
si vasallus possidens
onerare hy-
potheca feu-
dum vult?

quaesita est expectativa. Aliter se res habet, ubi investitura simultanea expectativæ accessit: aut ipse vasallus possidens de ea cum expectante pepigit: qualia exempla plura notavimus. Atque ex iis principiis speciales casus, qui existere in Germania possunt, decidendi sunt.

§. XLIII.

Quousque extendi interpretatione expectativæ causa existente possit?

Expectativam habenti cedit conditione existente quicquid feudi ab Imperio pendet: & quicquid ex allodio in conformatiōnem ejus impensum est: una cum omni melioratione & surrogatione. Et cum sape terra in patrimonio sint, aut ab aliis in feudum teneantur, regalia vero in feudum ab Imperio accipientur, illa quidem ad hæredes aut Dominos suos directos, hæ vero cum superioritate territoriali ad expectantem recident. Ceterum difficilis esse solet feudi ab allodio separatio, & peculiaria fere pacta requirit.



Lipzig, Diss., 1719

f



sb.

vd 18





179, 10a 394
15

DE EXPECTATIVIS
IN FEUDA IMPERII,
CONSENSU
ILL. JURECONSULTORUM
ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSI
mag.
D. XXV APRILIS A. MDCCXIX.
H. L. Q. C.
DISPUTABUNT
P R A E S E S
D. JO. JACOBUS MASCOV
COLL. MIN. PRINC. COLLEG.
ET
RESPONDENS
JO. JULIUS ANCKELMANN
HAMBURG.

LIPSIÆ,
TYPIS IMMANUELIS TITII.